Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26324
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dicunt. Usque ad finem trium lectionum et processioni in privatis diebus et misse subsequenti usque post
euangelium intersunt. Tempore hiemali finita letania nocturnales non mutant donec sig-
num per quod fratres ad lavandum vocantur audiant. Quibus tunc mutatis ac ceteris qui secum per-
actis ad opus solitum redeunt. usque dum factis tribus orationibus signum pulsetur ad tertiam.
tunc et ipsi premissa una oratione eandem horam cantare non differunt. Si quis vero eorum post euangelium mis-
se maioris privatam vult cantare. ab ordinis rectore in choro debet licentiam accipere.
Si quis etiam ipsorum sanguinem minuerit. tertia die ad primam vel alio tempore ad minus choro
ex consuetudine interesse debet. De custode ecclesie.

XXIII. Apocrisiarius qui custodit ecclesie thesaurum. et in cuius manu est quicquid apparatibus
ad altaria offertur. sacerdos esse debet. Qui ut officium suum digne possit ad-
solaria implere. adhibentur ei aliquanti eorum fratrum. Inter quos tamen est unus prelatior. qui
vice eius absentis agit. Idem quoque apocrisiarius potest loqui in tempore silentii de obedien-
tia sua quod necessarium est cum quibus eorundem fratrum. quamvis nequaquam sibi concedatur ut
tunc temporis communiter omnibus loquatur. excepto sabbato si forte tunc brevitas spacii aut
alia necessitas hoc impedit ut in tempore loquendi fieri non possit. Nam in omni sabbato
eos debet pariter convenire. et de usibus ecclesie instruere. ac precipue subsequentem in
ebdomadam uni eorum commendare. De portario ecclesie.

XXIIII. Porta quoque ecclesie uni specialiter committitur. qui eam semper claudat et aperiat suo
tempore. Et hic studiose talis eligitur. qui gravis sit in moribus nec ad ri-
sum facilis. ne quam in eo levitatem intrantes vel exeuntes deprehendant. Et hoc est
ei omnino interdictum. ut quando claudit vel aperit. pro nulla occasione vel pede extra
portam protendat. Hic si aliquando contigerit. ut hospes aliquis infra capitulum in ec-
clesia remaneat. vel si talis est festivitas in qua philacteria circa altare sint suspen-
sa. illic moratur. et interim legere non prohibetur. Lectus ei ante sacristiam iuxta ostium per quod
in sinistra abside in inferiora ecclesie intratur positus est. Preterea certum est illi soli iniunc-
tum. ut omni sabbato concas et candelabrorum pateras in quibus candele ardent diligenter
abradat. ne aliquid ex decurrente cera remaneat. Simili quoque studio totum pa-
vimentum quod circa maius altare est. prius aqua infusa purgat. et ceterorum altarium pa-
vimentum scopa emundat. Claudit etiam et aperit ecclesie fores variis modis per
diversa tempora. Nam cum ante nocturnos finitis xv. vel xxx. psalmis. tam in hieme quam in es-
tate eas semper aperit. in hieme tamen finitis duobus nocturnis ante officium de-
functorum quod in nocte cantatur. semper eas claudit atque ita permanent usque dum
scilla ante tertiam pulsetur. finitaque missa matutinali claudit eas. clauseque
permanent usque post vi. tunc aperiuntur. et missa finita usque ad vesperas clauduntur.
Post vesperas vero regulares clauduntur. ita usque ad nocturnos permansure. In
estate itaque cum statim post matutinas regulares claudantur. ad primam aperiuntur. et usque